





6
DE ORDINE
PERSONARVM TRINITA-
tis, & æterna Filij Deitate.

DISPUTATIO, EX AVGV-
STANA CONFESSIONE,
TERTIA.

Cujus Theses,
ASPIRANTE DIVINA GRATIA,
PRAESIDE ÆGIDIO HUNNIO, S. Theologiæ
Doctore & Professore, M. ANDAMUS VEGE-
TIUS Gladenbaccensis Hassus, in Collegio
Disputationum Theologicarum pri-
vato, defendere conabitur.



VVITTEBERGAE,
Excudebat Vidua Matthæi
VVelaci. Anno 1593.

D. B. G. R. D. N. E.

PERSONARVM TRINITATIS

DISCRETIO EXCERPTUM

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS

DE PERSONIS TRINITATIS



DE ORDINE PERSONARUM TRINITATIS, ET
aeterna Filij Deitate.

T H E S I S I.



Quoniam proxima disputatione dictum & ostensum est, personas Trinitatis esse unum quid *οὐσίαν*: consequitur, illas certo quodam ordine, certaque ad se mutuo relatione esse devinctas.

2. Non equidem, quod ratione temporis prior sit Pater Filio, Pater ac Filius Spiritu sancto (coæternæ enim sunt personæ Deitatis & per omnia coæquales) sed quod ordine productionis Filius à Patre, & Spiritus sanctus ab utroque est.

3. Neque enim fas est, promiscuè vel hanc vel illam personam Deitatis dicere primam, secundam aut tertiam: Sed Christus ipse ordinem hypostasum divinarum in forma Baptismi monstrat, dicens: Baptizate in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti, Matth. 28.

4. Erenim quia Filius gignitur à Patre, certè Pater ordine prior adeoque persona prima sit oportet. Et quia Spiritus sanctus procedit ab utroque: utique Filius prior ordine Spiritu sancto, atque sic persona secunda; Spiritus sanctus verò *τρίτος* posterior erit utroque: & idcirco persona tertia.

5. Sic quia Pater communicat vitam sive Deitatis *οὐσίαν* Filio, Iohan. 5. Ordinis ergo ratione posterior est Filius, ut qui à Patre accipit. Et quoniam Spiritus sanctus accipit de his, quæ Filij sunt, Iohan. 16. Ergò Filio posterior: posterior videlicet *τρίτος*, non tempore, cuius respectum omnem secludit ineffabilis illa Dei æternitas.

6. Sic Pater à nemine mittitur, quia à nemine est: ideoque persona prima. Filius, quæ Deus, mittitur à solo Patre: persona igitur secunda. Spiritus sanctus mittitur ab utroque: proinde Trinitatis persona tertia.

7. In hac producentium & productorum serie non est maior perfectio gignentis Patris, quam geniti Filij, quam procedentis ab utroque Spiritus sancti; tametsi Patri principatus originis,

non verò vel Deitatis, vel maiestatis & gloriæ prerogativa
præ cæteris personis adscribatur.

8. Siquidem eadem ad numerum ουσιῶν Deitatis, qua Pater est DEVS, etiam Filius est Deus, ut & Spiritus sanctus: & quidem non minus, atque Pater, per naturam uterq;, non per voluntariæ donationis gratiam.

9. Nec plus Divinitatis habet Pater, quam cæteræ hypostases: in partes enim non dividitur; sed eandem vitam seu essentiam, quam Pater in semetipso habet, dat & filio habere in semetipso: idq; ὁλικῶς, iuxta illud: OMNIA QUÆCVNQVE habet Pater, MEA sunt, Iohan. 16. de Spiritu sancto idem est iudicium.

10. Et ut relata perfectio est Patris gignere Filium, & producere Spiritum sanctum: sic relata perfectio Filij est à perfectissimo genitore nasci: & Spiritus sancti relata perfectio est, esse à perfectissimis producentibus perfectissimum productum.

11. Ut igitur de personis sigillatim agatur: Prima persona Pater dicitur, facta denominatione non à tali proprio, quo distinguatur ab una duntaxat hypostasi: quale est ἀγέννητος esse, quod & Spiritui sancto competit, qui & ipse quoque ingenuus est; quale etiam est spirare Spiritum sanctum: quod ipsum præstat & filius.

12. Sed à vi facultateq; patria gignendi λόγος imaginem sui, prima Deitatis hypostasis Patris appellationem sortitur: quæ vis generativa neq; filio convenit, neq; Spiritui sancto.

13. Patrem esse DEVM, Christus luculenter asseverat, Iohan. 17. prædicans Patrem esse illum solum verum Deum. Et Paulus 1. Cor. 8. scribens: Nobis unus tantum est Deus, qui est Pater ille, ex quo omnia.

14. In Filij Deitate contra perfidos eius abnegatores asserenda ut ordine quodam progrediamur, initio præmittamus ea testimonia, quæ præter humanam, docent aliam insuper in Christo extitisse Naturam, antequam homo fieret.

15. Luculenter id ostendit initium Evangelij Iohannis, ubi λόγος præextitisse, multis argumentis astruit Evangelista, antequam Caro fieret.

16. Evidenter id confirmat Baptista, clamans: Hic est, qui cum me sequeretur, antecessit me, quia prior me erat, Ioan. 1.

17. Per-

Distinctionem filij extitisse anteq̃ humanam assumere, id est hanc.

17. Perspicuè docet id quoque Christus, Iohaan. 8. Amen dico vobis, antequam Abraham erat, Ego sum. Et Iohan. 6. Quid si videritis filium hominis ascendentem eò, ubi erat prius? Ut & Iohan. 17. Glorifica me gloria, quam habui antequam hic mundus esset apud te. Hinc toties affirmat, se de cælo venisse, Ioh. 6. Quod nudæ humanitati certè non competit.

18. Perspicuè docet id quoque Paulus, dum Israëlitæ ait in deserto tentasse Christum, 1. Cor. 10. Ergo Christus erat tempore Israelitarum: & proinde natura præter humanam alia præditus sit oportet.

19. Qua etiam ratione dici posset ἀμύτωρ, ut Heb. 7. sub typo Melchisedeci nominatur, si eam tantum haberet naturam, iuxta quam non ἀμύτωρ, sed ἀπάτωρ est?

20. Quomodo item Pauli sermo constaret, asserentis Gal. 1. se Evangelium suum neq; ab homine, neque per hominem accepisse, sed per Iesum Christum: si Christus ipse nihil esset aliud, quam homo?

21. Sed nec phrasis Epistolæ ad Hebræos constare posset, qua Christum scribit assumpsisse semen Abrahamæ. Siquidem ipsa vox assumptionis præexistentem naturam arguit, quæ naturam aliam assumat sibiq; personaliter associet.

22. Hanc naturam præexistentem, esse non angelicam, aut quandam aliam creatam; sed divinam planè, qua cum Patre & Spiritu sancto unus verus, vivus & essentialis DEVS est: patet ex nominibus divinis, ex essentiali unitate cum Patre, ex proprietatibus soli Deo congruis, ijsq; cum personalibus, tum essentialibus, ex attributis, ex operibus, & κειτνησίῳ alijs, de quibus porrò dicendum erit.

23. Et primò quidem aperto nomine prædicatur esse DEVS, non sine huiusmodi epithetis & descriptionibus, quæ Dei vocem ab omni æquivocatione vindicatam ad principalissimum hoc significatum, quod æterno Deo in solidum adscribitur, reducant.

24. Ut quòd Christus talis nominatur DEVS, cuius æternum sit solium, Psal. 45. interprete Epistola Heb. 1. DEVS fortis, Esa. 9. DEVS salvans, Esa. 35. DEVS creans omnia, Ioh. 1. DEVS sanguine suo redimens Ecclesiam, Actor. 20. Deus in omnibus

DEVS
verus
à proprio latibz
om

omnibus laudandus in secula, Amen. Rom. 9. Deus in carne manifestatus, 1. Timoth. 3. Deus magnus, Tit. 2. Deus verus & vita æterna, 1. Iohan. 5.

²
Ab appellatiōe
q̄ soli Dō dēniat.

25. Deinde appellatur Iehova: quod non officij, sed essentiæ divinæ nomen esse nuper est explicatum: tale videlicet nomen, quod sibi soli vindicat Dominus, clamans Esa. 43. & 44. Ego Iehova, & præter me non est alius. Et rursum, Esa. 42. Ego I E H O V A, hoc nomen MEVM, & gloriam meam alteri non dabo.

26. Iam verò Jeremiæ 23. Germen Davidis, Christus, dicitur Iehova. Et quidem (ut collatio Scripturarum veteris, & allegatio Novi Testamenti declarat) est Christus is Iehova, quem Moses ab Israëlitis tentatum memorat, teste Paulo 1. cor. 10. quem Iehovam David in altum ascensurum, & dona hominibus daturum vaticinatus est interprete Epistola Ephes. 4. quem Esaias cap. 6. Iehovam regem exercituum appellat, explicante Iohanne 12. Iehova, cui vox clamantis in deserto viam paratura erat, Esa. 40. Iehova, in cuius nomine flectetur omne genu, asserente Esaias, & ad Christum referente Paulo, Rom. 14. qui Iehova delet peccata nostra propter semetipsum, Esa. 43. & in quo Iehova miseretur Iehova domus Iuda, Ose. 1. Iehova à Iehova missus, Zach. 2. Iehova precio 30 argenteorum in domum Domini proiecitorum venditus, Zacha. 11.

27. Hinc eximio hoc significato Christus dicitur unus & solus DOMINVS, 1. Cor. 8. videlicet ipse, Dominus de cælo, 1. Cor. 15. Dominator Dominus, Mlach. 3. Dominus gloriæ, 1. Cor. 1. adeoq; Dominus dominantium & rex regum, Apoc. 17. eo planè sensu, quo ipse æternus & omnipotens DEVS SOLVS prædicatur esse Rex regum, & Dominus dominantium, 1. Timot. 6.

28. Confirmatur Christi Deitas etiam ab indivisa Essentiæ unitate & communione, quæ inter ipsum & Patrem est.

³
Ab indivisa Essentiæ
unitate & communi-
one

29. Nam se & Patrem ait esse VNVM: & hanc unitatem in eo docet consistere, quod filius sit I N patre, & pater I N filio: idq; ex indivisa communione operum testatum reddit, quia faciat ipsamet patris opera, Iohan. 10.

30. Et ne vox ista casu quodam excidisse Christo putetur, repetit illam Ioannis 17. Quin & Iohannes patrem: λόγος & Spiritum sanctum confitetur esse VNVM, 1. Ioan. 5.

Quam

31. Quam inseparabilem communionem unius essentiae, ac Deitatis Christus his quoque verbis expressam voluit, Iohan. 16. OMNIA, QUAE CUNQUE habet Pater, MEA sunt. Et rursus Iohan. 17. Mea omnia tua sunt, & tua mea sunt. Et rursus Iohan. 17. Mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, & glorificatus sum in eis.

32. Adde, quod eiusdem quoque Spiritus possessio naturalis illa unitatem essentiae patris & filij demonstrat. Alias enim ex diversis substantijs seu essentijs non spirarent unum, sed diversa planè spiracula.

33. Iam cum naturaliter non nisi unum spirando producant spiritum: una etiam sit oportet illorum essentia atq; natura.

34. Deitatem porrò Filij personalis eius proprietates ostendit, puta quòd Hodie genitus est à Patre, Psal. 2. Et quidem eo modo, quem ne cum angelis quidem communem habet, Heb. 1.

35. Quare filius Dei dicitur VNIGENITVS, Iohan. 1. & 3 & 1. Iohan. 4. Filius Dei PROPRIVS, Rom. 8. ἀμήτωρ, Heb. 7. in SINU Patris genitus, Iohan. 1. qui sit IMAGO Dei inconspicui, Colof. 1. splendor gloriae & character substantiae Patris, Heb. 1.

36. Et certè si Pater τὸ λόγος verus est Deus, filius quoq; verus Deus sit necessum est. Iuxta illud 1. Iohan. 2. Qui negat filium, is ne Patrem quidem habet.

37. Siquidem vt homo naturalis naturalem & verum gignit hominem: ita Deus non nisi Deum gignit, non essentiae distractione quadam à suo Genitore separatum (quæ distractio non nisi in rebus materiatis regnat) sed in unitate substantiae paternae, seu, vt Iohannes enunciat, in sinu Patris insegregabiliter permanentem.

38. Quod adeo verum est, ut cum aliquando Salvator DEVM appellaret Patrem suum, Iudæi illico intellexerint, ipsum innuere, quòd sit Patri consubstantialis. Ideo enim (ut ibi legitur) quærebant illum interficere, quòd Patrem suum dixisset Deum, æqualem se faciens Deo, Iohan. 5.

39. Quanquam autem ad hanc Christi vocem in eam rabiem aguntur infideles Iudæi: id tamen pronunciatum verissimum esse

⁴
A personali eius proprie-
tate.

esse Paulus quoque testis est, perhibens, esse Christum filium DEO Patri ÆQVALEM, Philip. 2. æqualem nimirum Patri secundum Deitatem, minorem Patre iuxta humanitatem.

*à sp. s. q. filio p. s.
colli*

40. Iam quòd Spiritus sanctus à filio procedit; immotum est & hoc stabiliendæ Deitatis filij argumentum & testimonium.

41. Etenim quia Spiritus sanctus est verus & æternus Deus: absurdissimum fuerit affirmare, eum à quo procedit verus ille DEVS, nempe Spiritus sanctus, verum Deum non esse.

*quod scriptura constat
per pronuntiatione
ab æterno fuerit*

42. Invieta demonstratio veræ ac solidæ Divinitatis filij est, quod ab æterno illum fuisse scripturæ constanter adedò pronunciat.

43. Quod Psaltes Regius secundo Psalmo disertè confirmat, Deum patrem, filium suum, Messiam Dominum his alloquentem verbis introducens: Filius meus es tu: Ego HODIE genui te. Hodie, id est in æternitate; siquidem apud Deum nec præteritum quicquam est nec futurum, sed immutabile & æternum Hodie.

44. Iohannes scribit de filio Dei: in principio, (id est, cum res esse inciperent) ERAT λόγος, Iohan. 1. in ipsa scilicet æternitate, seu ut alibi Salvator exponit, antequam hic mundus esset, Ioan. 17.

45. Fuit enim ABINITIO, i. Iohan. 1. Ab initio autem esse, cum de filio Dei prædicatur, idem est, quod ab æterno esse: interprete Michea, qui egressum Messiaë scribit esse ABINITIO: & quid hoc sit, mox enarrat, adijciens, ADIEBUS ÆTERNITATIS, Mich. 5.

46. Hinc neq; initium dierum, neq; vitæ finem habere memoratur, Heb. 7.

47. Et quia Pater ab æterno est: utiq; & Filius ab æterno sit, necesse est; ne fingamus Patrem aliquando fuisse Deum, cum nondum esset Pater, sed in tempore demum cœperit fieri Pater, & in sua substantia gignere filium imaginem sui: qua ratione Deus in suamet substantia à seipso fuisset insigniter alteratus ac mutatus; quod vel cogitatu horrendum est.

Et

48. Et si ὁ λόγος Patrem haberet tempore priorem: falsum
esset, quod Apocal. 1. clamat Christus: Ego sum PRIMVS
& novissimus, vivus & fui mortuus.

49. Nec recte dici posset vel Pater aeternitatis, Esa. 9. vel
vita aeterna, 1. Iohan. 1. & 5. si ipsemet aeternus non existeret.

50. Nec universa per ipsum dicerentur condita, ut qui-
dem Iohannes de eo celebrat, si ipsemet rebus conditis annu-
merandus foret.

51. Iam quod is, QVI VENTURVS EST (quae
Christi in die ultimo venturi est periphrasis) praedicatur esse
OMNIPOTENS, Apocal. 1. satis evidenter & hoc ado-
randam eius Divinitatem ostendit.

52. Eadem & hinc elucescit, quod filius Dei ait, se esse e-
um, qui scrutetur renes & corda, Apoc. 2. quod alias soli Deo
proprium esse scriptura perhibet, 1. Reg. 8.

53. Quod item infinitae est essentiae, ut in quo omnia con-
sistunt, Col. 1. sunt, vivunt & moventur, Act. 17. Heb. 1.

54. Quod iuxta Psalmum 97. ex interpretatione Epistolae
ad Heb. 1. adoratur ab omnibus angelis: quod beati Seraphim
Christo (ut Iohannes 12 innuit) acclamant: Sanctus, Sanctus,
Sanctus Dominus Deus exercituum, Esa. 6.

55. Quod adorant eum omnes gentes, & serviunt ei Re-
ges terrae, Psal. 72. quod gentes in ipso sperant. Esa. 11. Et
quod honorari vult filius, SICVT & pater honoratur, Io-
han. 5.

56. Quod ex FIDE adoratur a caeco. Ioan. 9. a Thoma
Iohan. 20. a Stephano in ultimo agone, Act. 7. a fidelibus
Christianis, Act. 9. adeoque ab omnibus, qui invocant nomen
Domini nostri Iesu Christi, 1. Cor. 1. Imo quod flectitur ei o-
mne genu. Esa. 45. Rom. 14. & Philip. 2. quod denique ab o-
mni creatura quae in caelo est, & quae in terra, & quae sub ter-
ra, & quae in mari, tribuitur AGNO benedictio, & claritas,
& honor, & potestas, in secula seculorum; dicentibus quatu-
or animalibus: Amen.

57. Sed & opera, quae facit, clarissimum dicunt de divina
eius natura testimonium.

58. Hinc toties inculcat, se facere opera Patris sui: Ioan. 10.

B Quaecumq;

7.
à proprietatib. et ado-
rationis cultu.

8.
ab operibus



Quaecunq; facit pater, hæc itidem facere & filium, Ioan. 5. Vnde sibi æqualem cum patre honorem vendicat, Ioan. 5. & hanc maiestatem, quòd sit unum cum patre (patre nimirum in filio, & filio in patre immanente) ex operibus effulgere confirmat, Ioan. 10. & 14.

opere Creationis

59. Opus creationis rerum scriptura foli Deo transcribitur. Esa. 44. Jerem. 10. Rom. 1.

60. Id autem verbis meridiana luce clarioribus assignatur filio, Psal. 33. Ioan. 1. Ephes. 3. Col. 1. Heb. 1. & 3.

61. Idemq; vult collatio Psalmi 101. & Heb. 1. siquidem illud Psalmi (Initio tu, Domine, terræ fundamenta iecisti, & opera manuum tuarum sunt cœli) refert Epistola ad Hebræos rectâ ad Dominum Iesum Christum, hoc ipso Christum pro factore cœli & terræ non obscure agnoscent.

62. Idem testantur opera eius miraculosa in historia Evangelica, quæ non, ut Prophetæ & Apostoli, virtute designavit aliena, sed propria: Idcirco Iohannes ex ijs probat, Iesum esse Christum, FILIVM DEI. Ioan. 20.

Miraculis

63. Et quia in miraculis, quæ fecit, SVAM gloriam manifestavit, Ioan. 2. consequitur, quòd etiam sua propria virtute gloriaq; resuscitavit mortuos, filium viduæ Luc. 7. filiam Iairi, Matth. 9. Lazarum Bethaniensem, Ioan. 11.

*Resuscitatione
mortuorum*

64. Quin uniuersalis resuscitatio mortuorum, in nouissimo die futura, est opus filij Dei. Ita namq; spondet aliquoties EGO resuscitabo eum in nouissimo die, Ioan. 6. & 11.

65. Etenim sicut per hominem mors: Ita per hominem (Iesum Christum) resurrectio mortuorum, 1. Corint. 15. quæ transfigurabit corpus nostrum humile, & conforme reddet corpori suo glorioso, secundum efficaciam, qua potest etiam sibi subijcere omnia, Phil. 3.

*Et diuina gloriam maxime
patris exaltati iuxta
carnem J.C. celebrant
tibi*

66. Denique ea dicta scripturæ pariter omnia, quæ gloriam maiestatemq; exaltati iuxta carnem Iesu Christi celebrant, evincunt simul, personam, cuius hæc caro propria est, esse oportere verum Deum, quod & Cyrillus lib. 4. in Iohannem cap. 19. animadvertit.

68. Sic

67. Sic ex illa sublimi exaltatione ad dextram Dei, quæ Iesu Nazareno secundum carnem obtigit, Christus Matth. 22. se verum Deum esse concludit.

68. Planè ut ex gloriosa resurrectione à mortuis, quæ itidem ei contigit secundum carnem, Paulus Christum filium Dei declaratum refert, Rom. 1.

69. Damnanda ergo blasphemia Iudæorum, Mahometanorum & Arianorum, qui Deitatem Christi Salvatoris stylo impio suo furiosè oppugnant.

70. Damnanda quoq; Iohannis Caluini impietas, quòd æternæ Deitatis filij testimonia plurima suis strophis, lubricis & ambiguis glossis sic torquet, sic enervat, sic hebetat & debilitat, ut si cuius momenti æstimeretur ipsius interpretatio, porro ad convincendos Iudæos & Arianos invalida sint & inutilia.

71. Quasdam horribiles eius corruptelas, ad Trinitatem personarum, unitatemq; Essentiæ Dei infirmamdam comparatas, nuper excussimus. Nunc reliquas, quæ Deitatem filij petunt, examinabimus.

72. Primò quis non detestetur perfidiam eius, quòd dictum Psal. 2. Filius meus estu, ego hodie genui te, in novo Testamento, Act. 13. Heb. 1. & 5. ad Christum ita relatam, ut ne angeli quidem competere affirmetur, Calvinus ad Davidem refert; & ita crucifigit ut garriat, Davidem à Deo genitum fuisse, dum clarè apparuerit eius ad regnum electio. Et ad verbum (Hodiè) ait notare tempus illius demonstrationis, quia postquam innotuerit creatum divinitus esse Regem, prodierit tanquam nuper à Deo genitus.

73. Quanquam autem in sequentibus hæc ad CHRISTVM, ut à Davide præfiguratum, refert: tamen quia Psalmi verba secundum literam de Davide, de CHRISTO verò non nisi per anagogen quandam exponit Calvinus, nec prius ad illum accommodat quàm per glossam modò dictam imum fundamentum concussit; satis elucet, ipsum Iudæis, contra Christianos interpretes, imò contra Novi Testamenti scripturam Apostolicam, manifestas ferre suppetias,

*Clusio corruptelæ quibus
testimonia de Deitate Filij
J. Suppetias Calvinus*

ut in glossa ea, quæ Davidem spectat, acquiescant, & alteram illam de Christo interpretationem, tanquam minus propriam & non nisi anagogicam securè negligant.

74. Quim quod maioris etiam perfidiæ est in ipsa illa secundaria & anagogica expositione scribere non erubescit, hanc genituram (puta notatam in verbis: filius meus es tu, ego hodiè genui te) **NON DE MVTVO PATRISET FILII RESPECTV** intelligi debere, sed **TANTVM** significare, eum qui fuerat ab initio absconditus in arcano Patris sinu & obscure deinde sub lege adumbratus, ex quo prodijt cum claris insignibus, **COGNITVM** fuisse filium Dei.

Calvin. in
Psal. 45.

75. Sic quod Psalmo 45. legitur: Deus, solium tuum in seculum seculi &c. item propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ &c. Autor Epistolæ ad Hebræos rectà refert ad æternam filij Deitatem probandam.

76. Calvinus Apostolo sapientior, Regi Salomoni adaptat, ita super ea verba scribens: **SIMPLEX & GENVINVS** sensus est, Salomonem non tyrannicè dominari, ut plærosq; Reges, sed rectis & æquis legibus, ideoq; solium eius omnibus seculis fore stabile.

77. Si ergo sensus simplex & genuinus est hic, quo Calvinus verba Psalmi de Salomone explicat: sequitur, eum sensum, quo ea ab Autore Epistolæ ad Hebræos scriptæ referuntur ad Christum, nec simplicem esse nec genuinum.

78. Dicitur est in argumentis Divinitatem Domini nostri asserentibus, Christum esse eum Iehovam, quem David in altum ascendisse, & captivam duxisse captivitatem memorat: secundum interpretationem Pauli Apostoli, Ephes. 4. hanc Prophetiam de Christo eiusq; in cœlos ascensione, victoria contra hostes, & donis collatis in Ecclesiam explicantis.

79. Quid verò noster Calvinus? Is illud ascendere in altum refert ad Davidem, quo regnum adeptus, nova gratia, quæ sub Saule sepulta fuerat, iterum illuxerit.

80. De Apostoli verò allegatione, Ephes. 4. scribit, locum

eum hunc Paulum SVBTILIVS ad Christum DEFLEXISSE. Increpet te Dominus, Satana.

81. Itaq; posteaquam Davidis personæ prophetiam insignem istam adaptavit, & Apostoli canonicam interpretationem, ut quæ subtilius ista deflectat ad Christum, petulanter elusit: tandem ad Christum hæc eatenus pertinere censet, quatenus David eius figura extiterit: hoc est, sensu minus proprio & deflexo, ut ipsemet nominat.

82. Ex Psalmo 110: cuius initium est, dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, probat Christus Iudæis, se esse non filium duntaxat sed & Dominum Davidis, & proinde verum naturâ Deum, Matth. 22.

Calv. in
Psal. 110.

83. Negare non audet Calvinus, eo Psalmo de Mefsia sermonem institui, ita tamen id concedit, ut prius interpretibus Christianis, imò ipsimet Christo aculeum probationis contra Iudæos probè retundat, ne quid enumeratis illis verbis, è quibus adversum Iudæos argumentatus est Dominus, proficere ad institutum suum probandum valeat.

84. Etenim ad ista verba: Dixit Dominus Domino meo &c. sic annotat: Posset aliquatenus Davidis personæ congruere, quod hîc dicitur: quia neque temerè solium conscendit (nota, sedere ad dextram Dei, est Calvino terreni regni Davidici solium conscendere) neque evectus fuit stultis suffragijs, sed Dei mandato regnavit. Hæc ille.

85. Hîc præterquam quòd contradicit Spiritui sancto asserenti, nulli angelorum (nedum Davidi) dictum esse unquam: Sede à dextris meis; amentiam insuper suam prodit, de Davide exponens, quæ David in Spiritu de Domino suo cecinit, inquiens: Dixit Iehova DOMINO MEO, id est (iuxta Calvini lepidam & lautam paraphrasin) mihi Davidi. Num ergo David est sui ipsius Dominus? Quid est cum Iudæorum Rabinis cæcutire, & spiritu soporis inebriari, & ad amentiam usque desipere, imò furere, si hoc non est?

86. Vt autem mensuram probè compleat: & hoc super verba (Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis) adjicit: imò de cunctis mundi Regibus meritò dici posset, divinitus locatos esse in solio suo.

87. Interim tamen Davidi magis ista convenire docet : quia cæteris Regibus desit sacra maiestas, qua excelluerit David, ut esset Unigeniti filij Dei imago.

88. Er paulò post subiungit : David autem, qui sibi probè conscius erat divinæ electionis, seq; modestè continuerat in priuato gradu, donec voce Dei regnare iussus esset, non abs re à communi grege se eximit : ac si diceret, Deum sibi esse regnandi autorem.

89. Sic de Davide expositum illum Psalmi versiculum & iam hebetem factum, Calvinus post demum ad Christum refert.

90. Et quamvis ipsemet evidentia rei adactus fateatur, non nisi de Christo exponendum Psalmum : tamen, ut sibi lubricitate sua constat nullibi, sic præ indomita illa depravandi & quidvis ex quolibet fingendi libidine temperare sibi non potuit, quin versiculum insignem illum aliqua strophe debiliorem redderet.

91. Quam porrò protervè sanctorum Prophetarum vaticinia, de nativitate, passione, morte & resurrectione Christi, contra dilucidissimam Evangelistarum & Apostolorum interpretationem eludere, & veritatem illorum iuratisimis Christianæ religionis hostibus Iudæis prodere, ac pedibus conculcare non sit veritus ; ostendetur, Deo nos iuvante, occasione alia.

F I N I S.



De Spiritu Sancto
DISPUTATIO
EX AVGVSTANA
Confessione

AVGVSTANA
CONFESSIO
DE SPIRITU
SANCTO
AVGVSTANA
CONFESSIO
DE SPIRITU
SANCTO



AVGVSTANA
CONFESSIO
DE SPIRITU
SANCTO
AVGVSTANA
CONFESSIO
DE SPIRITU
SANCTO



AB 61 430

ULB Halle

3

002 694 131



SK





6

DE ORDINE

PERSONARVM TRINITA-
tis, & æterna Filij Deitate.

DISPVATIO, EX AVGV-
STANA CONFESSIOE,
TERTIA.

Cujus Theses,

ASPIRANTE DIVINA GRATIA,
PRAESIDE ÆGIDIO HUNNIO, S. Theologiæ
Doctore & Professore, M. ANDAMUS VEGE-
TIUS Gladenbacensis Hassus, in Collegio
Disputationum Theologicarum pri-
vato, defendere conabitur.



VVITEBERGAE,

Excudebat Vidua Matthæi

VVelaci. Anno 1593.

